



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per  
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum  
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat  
scelerum Ultor Deus**

**Selhamer, Christoph**

**Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.**

Concio I. Dominica I. Adventûs. Graviter deceptus Iber.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)



CONCIO I.  
DOM. I. ADVENTUS.

Respicite & levate capita vestra. Luc. 21.

Graviter deceptus Iber.



Nemo dicat, se nôsse Deum, se credere in Deum, ut in Deo summam Dei Bonitatem, non item Justitiam Dei suspiciat: Regius Psaltes binis hisce attributis, Clementiæ ac Justitiæ tanquam solido fundamini totam Divinitatem visus est inædificare; inde voces illæ: *Deus* (1) *miserans* & *justus*. Misericordiam Dei Bernardus (2) *Dexteram* vocat, *levam* verò manum Justitiam nuncupat; quisquis ergò Deum tanquam purè bonum & infinitè pium, exclusâ Justitiâ, prædicat, is hoc ipso *unimanum* facit Deum, seu rectigidolum, aut spurium Deum, quia mutilum, imperfectum. In Deo nec Justitia à Bonitate, nec Bonitas à Justitia se patitur separari. Quisquis Deum tanquam Salvatorem mundi colit, prædicat, is eum quoque tanquam judicem vivorum simul & mortuorum colat necesse est. Cultum hunc si renuas, hoc uno ex capite audies atheista, licet nomen Catholicum tumentibus buccis crepetur. Unde autem Justitiam Dei clarius dignoscas, quàm ex tot plagis, quibus reprobos peccatores castigat? sic iterum David (3) *pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur &c.* ratio hujus mox innuitur: *quoniam justus Dominus, & justitias dilexit &c.* Dei proin justitia ex pœnæ sceleribus decreta eruitur, quâ reprobos ideò flagellat, ut eos ad verum nominis pœnitentiam inflectat, discantque saltem animitus timere, quem hactenus ex imo pectoris meditullio nolebant

(1) Ps. 111.  
(2) S. Bernardus Seem. 4. in Vig. Nat. Dom.

A. Qui Deum solummodo ut infinitè bonum, ac mundi servatorem, non iternam quâ judicem colunt, ex Deo faciunt idolum.

(3) Ps. 10.

A

amare.



B.  
Justitiam  
vindicati-  
vam Deus  
perenni  
bono  
nostro  
exercet.

amare. Sic omnis justitia & severitas puniendi nostro bono intenditur, ut intuitu judiciorum Dei omnes reprobi peccatores suis pravitatibus serio nuntium remittant, seque totis viribus ad Deum convertant. Summum malorum omnium malum nullis unquam gravioribus pœnis justum Numen proscindat, hoc ipso pauci terrigenum sursum ad cœlos emergerent, quia potior hominum pravorum pars se per omnes scelerum cloacas porcorum instar versaret. Dantur hanc in horam perquam multi, qui summi momenti actus flocci faciant, pœnam damni forti cachinno explodant, & unâ sensum pœna se percelli patiantur. Nisi reos peccatores, exossari & deartuari, rotis confringi, vivicomburio consumi, virgis & flagris dilacerari, mille probris corripiri, & ab orco videant raptari, pœnâ damni non moventur. Si modò nec orcus esset nec diabolus, aut orci pœnæ non ita horridæ essent & acerbæ, vel saltem non essent æternæ, cœlo facile valedicerent; accidit inde ut pœnam sensus, quâ unâ liberari exoptent, judicio verè paradoxo, pœnâ damni seu summi Boni jacturæ perenni præferant. Opus itaque fuerit, ut huic hominum pravorum generi ad oculum ostendatur, quàm districtè hic & ibi pravos judicet, & castiget Deus, qui ex se misericors pater etiam potum aquæ æternantibus bonis præmiatur, promptus ritè contritos in gratiam recipere, insuper habitis quibuscunque grandium delictorum portentis. Porrò sicut per infinitam Dei clementiam omnes abjecti & pusillanimes cogitatus fortiter dissipantur, & invicem illorum constans in Deum amor reaccenditur; sic pariter per justitiam Dei omnes pravi actus, omnes peccaminosi affectus reprimuntur, & mortalibus animis saluberrimus horror incutitur, qui omnem mali moralis umbram proscibat. *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Oppeat bonis ac donis suis gravissimos peccatores ter elemens Deus; spondeat illis aureos montes misericors Deus, hominum tamen natura in malum prona, se citius corrigi patietur justi Judicis aspero vultu, quàm mitissimi Servatoris comi obtutu, plus minis dabit quàm pœnis. Adhæc etiam illi, qui jam amplos in virtutis studio progressus fecerunt, suis adhuc stimulis & calcaribus opus habeat, ut ne pœnarum metu gravi tentationi succumbant.

C.  
Aliqui  
plus minis,  
ac pœnis  
quàm  
præmiis  
moventur.

Hinc



Hinc toties ad Deum vota illa ejaculari auditus est Regius (4) (4) Pf. 110.  
 Vates: *confige timore tuo carnes meas.*

Hæc ita se habeant Opt. AA. jam tribus verbulis expromam, quid anni hujus decursu hæc ex cathedra coram meis purè Catholicis auditoribus agere statuerim.

Cùm malorum omnium princeps causa sit peccatum, quò omnis aditus ad cœlos à Justitia Divina obseretur, decrevi hòc annò singulis Festis & Dominicis, vel Evangelio, vel currenti Festo tragicam aliquam historiam accommodare, eamque ritu concionatorio morali doctrina largiter instructam, hic locorum proponere, eum in finem, ut omnium animis vivax odium peccati imprimatur, si videant, quantis pœnis magna & modica peccati pravitas, in orco & in purgatorio, in vivis & post fata justo à Deo proscindatur. Qui se tangi sentient, discent inde, pravus animi motibus modum ponere Superis exoptatum, animabus proficuum; qui opitulante Dei gratia vitam vivunt sceleris puram, discent alienò malò plus sapere; discent in timore ac tremore salutem suam juxta S. Pauli (5) monitum operari. Hodie proin decreti laboris prima pono fundamina, quibus ritè positis tota fabrica ritè inædificetur. Ingressus ad concionem hodiernam prolixior esse debuit, quia totum in annum, annique Festa & Dominicas excurrit. Annò alterò si Superi faveant, alterum Divinæ *Clementia* attributum pari methodo suspiciemus, unde spem ac fiduciam, solamen hauriant ac lenimen contriti peccatores. D. T. O. M. pios hosce labores felicitet, ut per me fructuosè inchoentur, & adhuc fructuosè consummentur.

Opt. AA. est quidem præsens Evangelion sua ex natura horridum. Stant in eo quatuor elementa verè attonita, & quasi sidere tacta. Ad Supremi Judicis judicium Sol & Luna pallefcunt, locò suò moventur astra, cœlorum virtutes contremiscunt, mare fluctuat, tumultuatur, & in id totis quasi viribus enititur, ut tanti Judicis furori setotum subtrahatur. Nos proinde his ab elementis edocti, pares animò curas concipiamus, ne tandem lamentabili sententia justo à Judice Deo fulminemur. Divo Patri Hierosymo nec mensa sapuit nec somnus. Quid tantam utriusque nauseam pepe-

D.  
 Rectè adeò  
 Justitiæ  
 Divinæ  
 attributum  
 per nos  
 totò annò  
 expendi-  
 tur, &  
 tragicis  
 exemplis  
 firmatur.

(5) Eph. 6.  
 Phil. 2.

E.  
 Horroris  
 plenum est  
 præsens  
 Evange-  
 lion.

A 2 rit



rit Stridonensi? *Tuba Tuba spargens sonum per sepulchra regionum, cogens omnes ante thronum: Tuba judiciaria, sacris auribus perpetim illapsa, venite ad iudicium &c.* Idem S. Spiritus omnium auribus hodie intonat: *levate capita vestra, & eminus prospicite venturum Judicem.* Hæc omnia si nos quoque pronis auribus hauriamus, salva res; sic enim malis omnibus tempestivè obviabitur; sic pœnitentiæ tabulæ fortiter apprehendentur, dum tempus est, ut ira Dei ante obitum fopiat. Levemus itaque capita nostra vivi, & non erit, cur ea sine fructu, sine lucro levemus mortui. Levant utique hi etiam capita sua, sed ad probum, ad pœnam suam, cujus evidens argumentum producit (6) Nadas, fide sua dignissimus Author. Accingor operi, & historiam promo tragicam, quam Hispaniæ Granata subministrat.

(6) Nadas,  
an. dier.  
mem. p. 2.  
18. Oct.

Vocabatur fortè Religiosus quidam Pater, cujus ab ore totum hunc actum hausit Nadas, à mensa ad ægrum magnam, fatò repentinò jam propè confectum. Rupit omnes moras vocatus, & propeo pede ad moribundum contendit; at cum scalas emensus ægri cubiculum attigisset jam funus reperit. Doluit, inexpectatum obiisse pius Pater, inde ocius ad præsentem conversus, lacrimas & planctus in calidas preces convertit, authorque fuit singulis, ut pro extincti salute junctis viribus in vota vocarent ter clemens Numen. Ipse primus omnium humi fusus coram Christo è Cruce pendulo pro Nobilis hujus anima Lytaniis evolvere cepit de omnibus SS. jacente interim in lecto velata facie defuncto. Parte media vix expedita, hem, novò prodigiò ad voces illas, *propitius esto ei*, corpus animâ exhaustum moveri, levare in altum caput, & tragica voce altum inclamare: *heu gravi errore deceptus sum!* mox iterum fato corpus subicere. Credebat præsens Pater, animam adhuc inis corpusculi fibræ conclusam spirare; ideò totas vires exseruit, ut altifona voce spiritum contritionis excitaret; sed actum egit, quidquid egit. Jacuit funus saxeam, & nec signò vitæ latentis umbram exhibuit; resumptis itaque Lytaniis sacra profèqui, ceptamque resam lecto affusi pertexere. Jam Agnum Dei ardentibus votis

F.  
Tragica  
historia de  
Hispano,  
qui post  
obitum  
mortem  
ter caput  
extulit,  
fessus, se  
graviter  
deceptum  
esse,



votis implorabant, ecce tibi altera vice caput è lecto funus elevans, mœstissima voce veterem nœniam resumpsit: *heu quàm gravi errore deceptus sum!* dictoque citiùs se suo iterum lectulo composuit; resumpsit pariter animos suos zelosissimus Pater, & quidquid vocis habuit, in jacentem resolvit, irrito iterum conatu; jacuit funus inanime, inflexile. Peractis etiam reliquis Ecclesiæ precibus, tandem coronidis locò adjecta fuit formula illa, quâ *pacem* omnibus defunctis apprecamur, & *fidelium anime per misericordiam Dei requiescant in pace!* & ecce, tertia vice caput in altum sustulit funeratus, instar horridi canis jam latrare, jam ululare auditus: *heu heu, quàm gravi errore deceptus sum!* quantum horrorem hæc tertia & ultima vociferatio præsentibus incusserit, cogitari potest, scribi non potest. Omnium pili sursum stabant attoniti, & tremula formidine percussi. Ex vocibus ita conclamatis, & ex stygiæ fuliginis sordente vultu, pessimum omen æternæ reprobationis præsentibus hauriebant, persuasi nempe, voces hæc tertium iteratas, proximo gradu illas attingere, quas hanc in horam reprobis despumant in picea æternitate, prout Sapientiæ Libellus (7) perorat: *ergò erravimus* (7) Sap. 7. *à via veritatis*, (seu quod idem, ergò gravi errore decepti sumus) & *justitia lumen non luxit nobis*, & *Sol intelligentia non est ortus nobis? quid profuit nobis superbia? divitiarum jactantia quid contulit nobis? transferunt omnia illa* (liceat omnia unò fasciculò complecti) *tanquam umbra, nuntius, navis, avis, sagitta &c. nos autem in malignitate nostrâ consumpti sumus! talia dixerunt hi, qui in inferno peccaverunt*, seu, qui suis peccatis immortui, æternum perierunt. Credibile adeò fuerit hunc nobilem Hispanum, non sursum ad gloriam, sed potiùs deorsum ad pœnam abiisse, quia, ut memini, parem nœniam adhuc hodie damnati ejulant, se nempe à carne & à sanguine, ab auro & à fortunis, ab orco & à pravis fociis, à vitiis & à concupiscentiis à Sacrorum facilitate, à temporis fugacitate &c. enormiter deceptos, à veritate in reprobum sensum, ab impœnitentia in repentinam mortem, à morte sine Sacris obita in averni puteum defluxisse, casu nunquam reparando, casu ne lacrimis quidem eruentis unquam



latis deplorando. Hæc, Auditores, prima sit tragœdia, quâ tragicum hodie annum auspicamur. Nunc ex præsentibus actis mores formemus, visuri pariter, quid utiliter ad præfens funus animò coqui possit Christiano.

G.

Moribus  
formandis  
accommodatur, &  
primò quidem ad  
avaros  
dirigitur.

Ah! permittat optimus Deus, ut vel hodie capita sua mortui sustollant! quoties hanc ipsam naniam recantarent: *heu! quàm gravi errore decepti sumus!* Loqui liceat post obitum opulento euclioni, alieno ære multoties gravato; vocem cum capite datum sit levare mortuo judici, lucri gratiâ plurium iniquitatum nefario patrono, rationum depravatori, pensionum decimatori, curiensium multarum clepario &c. pari naniâ circumstantium aures oppleret: *heu gravi errore deceptus sum!* credebam ego, salva fore omnia, si furta omnia & omnes rapinas, lucra impia & mammonam sacro Tribunali affatus, nuda confessione in aures Presbyteri deponerem; jam verò prò dolor, actu expertus sum, quàm verè dictum sit (8) à S. P. Aug. *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si quidem restitui possit ablatum*, quia juxta tritam Juris regulam ad impossibile nemo tenetur.

(8) S. Aug.  
ep. 54. ad  
Maced.

H.

Ad Venerem  
olentes  
hircos.

Idè obscœnus leno, Veneris procus, Epicuri de grege porcus, voce tragica reponeret, qui pravis motibus omnes laxavit habenas, centies expiatus, centies in idem lutù relapsus, nec proximas peccandi occasiones removit, nec pravis amoribus serio valedixit, lascivis cogitatibus suis miserè inmortuus, nunc à justo JUDGE Deo æternùm cœlò proscripsum; hinc iterum iterumque Hispaniensem audias cantilenam, *ab quàm turpi errore deceptus sum!* credebam, nudos cogitatus nec ad culpam trahi posse nec ad pœnam, nunc verò contrarium didici damnò meò eoque sempiternò. Sicut Deus piam voluntatem immarcescibili gloria coronat, sic pravam interminabilibus pœnis castigat. Experto credite Roberto Veneris asseclæ, & alterius irreparabili damno resipiscite!

I.

Ad ebrios  
gulones.

Idem oraculum ebrius siphon profunderet, qui in suo ebrietatis strepitu scalis delapsus crepuit medius, & animam vomuit gulo; huic si loqui concessum foret jam extincto, nil sanè aliud ejularet, quàm tritum illud Hispani: *ò quàm graviter per combibones meos deceptus sum!* quàm impiè,  
quàm



quàm miserè me vinò tumulavit fodesille, ut jam mihi pariter illud euclionis aptetur: *& sepultus est (9) in inferno.* Crede- (9) Luc. 16. bam ego, me crapulam, ut aliàs, etiam hoc nocte edormiturum; at quàm graviter deceptus sum! mors obruit incautum, & in alteram prima longè deteriorem ebrium detrusit! jam pice liquefacta sitim diluo! jam in sulphureo lacu pœnas do contractæ, & ad supremi Judicis urnam translatae ebrietas!

Quærat subinde, quo statu post obitum vivant conjugati? vereor sanè, ne multi horum horrida voce exclamare cogentur: *gravi errore decepti sumus!* ô quàm luridè contraximus! pessimo fine Deo insuper habitò socii thori fœdera sanximus; tanquam equus & mulus, quibus non est intellectus, brutos amores irruimus; homines tanquam animales & spiritum non habentes, conjugii legibus graviter abusi sumus, nunc primum experti, quàm verè dixerit Climacus, proprio etiam ex dolio contrahi posse ebrietatem focus cremendam sempiternis. Alii gravissimos errores deplorarent, quos in prolibus suis ad omnem luxum & luxuriam, ad omnem gulam & gastrimargiam educandis identidem commiserunt; unde cum liberis parentes, cum parentibus liberi orci prædæ cesserunt, nullò ævò redimibiles.

Quid multis? datum foret etiam Sacris & Ecclesiastica dignitate inclytis, avita religione conspicuis Capitibus post fata caput extollere, promere vocem &c. idem sanè suis occiderent, qui togâ & nominatenus statum eminentiorem in vivis professi, in omnem laxitatem machiavelli spiritu resoluti, à primo fervore, à strictioris observantiæ regulis tam enormiter desciverunt, ut fatendum sit, novissimos à primis tantà viarum intercapedine distingui, quantà cœlum à terris, terra toto ab orco discriminatur; hi pariter unis vocibus exclamarent: ah quàm enormiter decepti sumus! credidimus nostro è cœtu nullum damnari posse, nullum sacris his vestibus & cucullis amictum stygia morte mulctari posse: ita sanè privilegia loquuntur, sed illis duntaxat promissa, *qui ad literam, ad literam* primis legibus & statutis mordicus essent inhæsuri, proscriptis exemptionibus, difflatis dispensationibus, quas rectius *Ordinū dissipationes* dixit

K.

Ad Conjugatos.

L.

Ad Ecclesiasticos &amp; Religiosos.



10) Guil.  
Abb. ad  
frat. de  
mont.

M.  
Ad Pœni-  
tentie  
procras-  
tinatores.

dixit Bernardus. *His, ut Abbas inquit Guil. (10) à cella in cœlum pateet transitus, aliis omnibus lata curritur via & spatiosa, dudum Divinis ab Oraculis reprobata.*

Tandem surgant à mortuis corvini cantores, qui procrastinatâ in horas pœnitentiâ, *sine lux*, ut ajunt, & *sine crux*, impœnitentes ad plures migrârunt, justô Dei judiciô in abyssum præcipitati, iterum plangi audiemus errores, quibus decepti, in senium pœnitentiam prorogabant, persuasi, se Mathusæam ætatem transgressuros, qui adhuc hodie facti erant funus. Opt. AA. ut nullus unquam nos error corripit, cum Guiliel. Bavar. Duce juxta vocum triadem errores nostros quotidie lustramus & anathematizamus: *agnosce, dole, emenda.*

Ita nemo nostrum caput levabit mortuus, ut errorem excretur, quem singulis diebus correxit vivus. Amen.



Dom.